

Q. F. F. Q. S.
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

DISSERTATIONVM PHYSICARVM,
QVIBVS
ELEMENTICOLAE
COMTE DE GABALIS

EXAMINANTVR,

PRIMA.

QVAM

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTENT

PRAESES

M. IO. GEORG. HOCHEISEN,
VLMENSIS,

ET

RESPONDENS

DAVID BERNARDVS,

DOEBELA - MISNICVS.

A. D. SEPTEMBR. A. AE. D. c1o 10cc III.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

Coll. diss. A
53, 2

21.
a. 2111. 2.

RECTORI ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMAE
SACRAE THEOLOGICAE UNIVERSITATIS
ALMAE MATERIAE

FRIDERICO AVGVSTO

ELFREDI BAXHEDE
ETC ETC ETC

DISSERTATIONVM PHYSICARVM

OPVS

ELEMENTITICOLA

COMITIS DE GABALIS

EXAMINATA



FRIDERICO

OPVS

PUBLICO ERVDITONVM EXAMINI

ADMITTENT

PRAESES

M. IO. GEORG. HÖCHSTEN

VI-MENSIS

AV

RESPONDENS

DAVID BERNHARDVS

DOCTER-MINISTVS

A. D. SEPTEMBR. A. A. D. CL. LXXIII.

WITTBERONAE, PELLO GERDESIA NO.

2. 111. 2.



בעה

PRAEFATIO.



Esert Spinoza, (a) solertissimum illum eundemque Doctissimum Magistrum Maimonidem, Mosen Aegyptium (b) nonnullis dictum, notari Iudaeis, quod in Tractatu More Nebuchim dicat: *scripturam rationi esse accommodandam.* Atenimvero quod in Doctore suo recutita Apellarum cohors desideravit, faciens proin cum R. Iehuda Alphakar, rationem scripturae ancillari debere, eique prorsus submitti, dicente, id, proh dolor! plurimorum hodie, et qui uideri uolunt, sapientissimorum antiquitatis indagatorum communis est sententia, qui nulli erubescunt cum Maimonide, (c) contendere, unumquemque ferme scripturae locum uarios, imo contrarios sensus admittere, nec nos de uero ullius esse certos, nisi sciamus, locum illum, prout illum interpretamur, nihil continere, quod cum ratione non conueniat, aut quod ei repugnet, si enim rationi ex ipsius literalis sensu reperiatur repugnare, quantumuis ipse clarus uideatur, tum locum aliter interpretandum censent. Non est quod anxie asserti huius nostri testimonia conquiramus, fat est illorum in libro, cuius est Rubrica, *Comte de Gabalis, ou Entretiens sur les sciences Secrètes*, Coloniae (si nomen loci non fallit) absque anno Gallico idiomate impresso. Cuius auctorem, quis fuerit, uerum ex Tractatu ipso cognoscere haud licet: sunt qui eum uelint esse *aëreum* uti nominari cupiebat, *Philosophum* illum FR. IOS BVRRHI,

A 2

Medio-

(a) *Tract. Theol. Pol. c. VII. p. 99. coll. c. XV. p. 167.* (b) *Reuchlins. Cabal. l. I. p. 638. in op. Galat.* (c) *More Neb. P. II. c. XXV.*

Mediolanensem, ob heterodoxas quas fouebat opiniones, Romae, a fidei Inquisitoribus ad perpetuos carceres damnatum, per Comitum *d'Estreés* autem, quem morbo grauisimo tabescentem pristinae sanitati restituerat, liberatum, et de cuius fatibus atque erroribus tradidere multa Burnettus (d) itemque Tuldenus (e). In hoc quippe execrando foetu haec inter alia blasphemia prorsus uerba leguntur: *Gabala nostra et admirationem mouet eximiam, et absque illa Scriptura, Historia, Fabulae, et ipsa Natura sunt obscurae, atque intellectu perdifficiles.* Quae sane uerba non magis reuerenter de sanctissimis S. Scripturae oraculis sunt pronunciata, quam illa Theologi Politici, (f) quibus cum Orlando furioso sacrarum literarum pandectas comparat, aut Iul. Caesaris Vanini, (g) qui Salomonis proverbialia populares sententias, et cupidinosos uersus omni lepore destitutos appellat. Nempe ita fert genius seculi nostri, ut noua semper appetat, eaque inuenire gestiatur: uel si nouum reperisse non detur, Eunuchum praetextatis Chaereae uestimentis transfiguret ita, ut alia minimum facies eius uideatur. Alterutrum istorum, si non utrumque quin in mente habuerit *Comte de Gabalis*, dubium prorsus nullum est, et satis loquuntur innumera illa opinionum portenta, quae in hoc suo libro effudit, et quibus expugnandis non unus sufficiet Hercules: quanquam quaedam illorum ita sint comparata, ut forte non immerito, quod *Ant. a Wood* (h) de Hobbesio pronunciauit, iure longe maiori de *Comite* isto enunciari queat, eius *παροράματα* talia esse, ut uel a tyronibus deprehendi possint: alia tamen ita sunt comparata, ut maiorem omnino diligentiam, exquisitamque tractationem desiderare uideantur. Inter quae primo merito loco referendum id, quod cardo est, in quo totus eius Tractatus uertitur, sententia de *existentia certorum in omnibus elementis habitatorum*, quos ELEMENTICOLAS uocare licebit, quod elementa incolant diuersa diuersi. Qui utrum hucusque castigatus a quoquam sit, pro comperto non habemus: quantum quidem inaudire licuit, ferunt ostendi *Schediasma* quoddam sub titulo *Consideration*

- (d) *Epp. Itiner. p. 192.* (e) *Tom. I. Hist. in app.* (f) *Spinoza. Tr. Tb. Pol. c. VII. p. 96.* (g) *Dial. XVI. de Fluuio. Gener. quibus similia habentur in Koerbagh Bloembhof uan allerley lieflykheit, itemque Bodino, de abditis rerum sublimium arcanis, cuius inde Librum pestiferum atque exitialem uocat Huet Dem. Evang.*
 (h) *In append. Antiq. Oxoniens.*

ration sur le Comte de Gabalis, cuius tamen perlustrandi occasio non dum affulsit ulla. At auctor quidem literarum tractatui annexarum aestimat, Aethiopem lauare, qui dogmatice et serio rem aduersus *Comte de Gabalis* tractare sustinuerit, cum cachinno potius et sibilis explodenda sit ea philosophandi ratio, nec sectatores unquam habitura ullos. Sed enimuero aliter nobis uidetur, persuasis omnino in his et Dei naturae auctoris causam uersari, et naturalis scientiae ueritatem quam maxime periclitari: quare pellecti ueritatis amore, quam unicum atque ultimum philosophicae contemplationis nostrae scopum praefiximus, dubitauimus nulli laborem hunc suscipere, eumque tractare ita, ut *primum* solliciti simus de mente *Gabalis*, utrum *uere* is an *aenigmatice* loquatur, maxime quum semper is habitus fuerit BVR-RHI, qui de rebus religionem attingentibus occulta ac uix satis intellecta lingua differat, ut semper delitescere uelle uideatur, aut attramentum offundere, sub quo hamum effugiat, ut de *Roberto Fludd* Gassendi uerba habent: *deinde* quid sint ex mente eius *Elementiculae*: *denique* quam absurda haec eius sint placita atque decreta. In crepes hunc satanam Ens Entium Ter Venerandum! nostrisque au-
 fis adspires, qui sanctum tuum auxilium piis precibus nostris et uotis ardentissimis flagitamus.

I.

Quod in Aristotele et Theophrasto desiderasse legimus Phrynuchum, illos non satis Attice quaedam efferre; id potiori iure (i) de *Gabalis* erit enunciandum, tam enim is audacibus et plane poëticis atque *Φορτικαῖς* (k) metaphoris utitur, ut uel ipsa Pythagoreorum symbola clariora uideantur, iis uerborum gryphis, et sesquipedalibus pompis rem obuelans suam, ut cum Orpheo (l) ea scripsisse uideatur, quae solus intelligere queat, Platonicos imitaturus, uel cum iis aemulaturus, de quibus IO. BAPT. du HAMEL (m) *Platonici*, inquit, *quae uno uerbo dici possunt, pluribus*

A 3

onerant,

- (i) Quum ob id ipsum Aristoteles laudetur Hamelio *Conf. et Diff. l. I. c. 1. p. 548.* quod sit subtili quadam et pressa oratione limatus, ipseque Aristoteles in *Philosopho* illud requirat l. II. de *Demonstr.* et VI. *Topicor.* (k) Quod *Dion. Halicarnass.* et *Cicer.* in *Bruto* de Platone est iudicium, teste *Vossio de Sect. Philos. c. XII. p. 74. conf. etiam Stillingst. Or. S. l. III. c. 3. p. 992.* (l) *Aristot. l. II. τῶν μετὰ τὰ Φορτικὰ.* (m) *Conf. et Diff. l. I. c. 1. p. 552.*

onerant, aut magna saepe obscuritate inuoluunt, (n) Mysticam haud dubie Aegyptiorum atque symbolicam Philosophiam sectantes, qua corrupisse Platonem eam quam a Socrate acceperat, epistola quadam Aeschino Socratico scripta (o) suo iam tempore questus est Zenophon Socratis et ipse auditor. Ut proinde is, qui in Gabalis mentem penitus penetrare uoluerit, maiori quam quae nobis adest perspicacia, uel singulari εὐσυχία, uel Oedipi diuina coniectandi sagacitate instructus esse debeat, uel patientia minimum Thebit Bencorat Arabis, quem ut octauo orbis motum cognosceret plenius accuratiusque obseruaret quadraginta annorum spatio in editissimi cuiusdam montis, uelut specula continuis in excubiis uersatum esse refert VANINVS, (p) ne minus recte mentem illius interpretatus uideatur ἀεροβατέιν, atque ea ipsi obiiciantur, quae Parisiensi Facultati obiecis- se legimus (q) Erasmus, displicet quibusdam, quicquid non intelligunt, et carpunt, quod perperam intelligunt. Ea enim is loquitur de Physicae scientiae sublimitate, et qua illa religione indignos celari debeat, ut sub uerborum phaleris adeptis haud inusitatis atque consuetis Alchemiam aut Chrysopoeiam meditari aut profiteri uideatur, Cabalista, inquit, non procedit, nisi per principia naturalia: et licet in scriptis reperiantur quandoque characteres, et huius generis alia, nullum id alium in finem fieri assolet, quam ut inscii atque indocti a Physicorum principiorum cognitione tanto remotius arceantur, et post nonnulla interiecta: compositus fuit Adam ex quatuor Elementorum particulis purioribus et subtilissimis, adeoque unus omnibus Elementicolarum qualitatibus atque perfectionibus ornatus, ut quae in his sigillatim reperisse datum, in illo collectim perspicere procliuue fuerit. Unde fuit, quod summam rerum naturalium, et maxime corporum illorum primorum, quae elementa uocamus, notitiam scientiamque habuerit.

II.

Ad horum iam elementorum perfectam plenamque cognitionem ascendere posse hominem pollicetur, si ad solers naturae scrutinium

- (n) Conf. Herm. Wits. Misc. S. Exerc. III. p. 99. de Numenio, Porphyrio, Amelio, Hierocle, Syriano, Praeclo, Marino, Isidoro, Damascio iudicium. (o) Conf. Euseb. Praeparat. Evang. l. XXIX. et Stobaeus sermone de Diis. (p) In Praefat. Theatr. praemissa. (q) Conf. P. Bolleuille, s. Rich. Simon. lettre touchant l'inspiration p. 29. Edit. Rotterod. 1685.

tinium adiungantur chemicorum operationes non proletariae quae-
 uis, eademque uulgares, qua in compositis et decompositis *Labo-*
rantium subsistit labor, eas enim a se procul abesse iubet, suo idioma-
 te uocitans *bagatelles*, sibi que ab istis minutis, ut caueat, collocuto-
 rem adhortatur; sed accuratiores illae, quibus ad simplicia magis, et
 si fieri possit, prima usque resoluendorum corporum Naturalium
 principia Adeptarum feruet studium atque industria. Is enim, po-
 steaquam processum eiusmodi chemicum delineasset, subiungit:
Sic Venerabilis natura suis, quos habet infantibus, modum praescripsit
renouandi elementa per ipsa elementa: sic harmonicus Naturae concentus
revolvitur: sic homo pristinum quod habuit in naturam ius atque im-
perium recuperat, et perficere quaeuis ualet in elementis absque diabolo
atque arte omni illicita. Quae non multum dissimilia sunt his, quae
 HENR. NOLLIVS in *Physicæ Hermeticae* prodromo tradit.

III.

Addit porro, quod omnibus illis, qui Chrysopoeiae studio de-
 diti sunt familiare est, requiri ad uerum et germanum philosophum,
 cum humilitatem, modestiam, animum ab ambitione alienum, conti-
 nentiam ab actibus Venereis, et quorumuis peccatorum detestatio-
 nem: tum ingenium aptum et habile, imprimisque temperamen-
 tum melancholicum, quod omni fere tempore sagaciores Naturae
 mystae ad sapientem requisierint: in quo facile consentientes ha-
 bet, qui de ingeniis scripsere. Hinc PETR. PETITVS (r) ad Pro-
 phetiam natos dicit Platonem, Pythagoram, Heraclitum, Parme-
 nidem, Anaxagoram, Aristotelem, alios. Temperamentum enim
 ex atra bile compositum hominem idoneum facere ad profundas,
 fixas, sublimes cogitationes et meditationes, Physicorum pariter et
 Medicorum antiquiores filii (s) dudum asseruere; et uel maxime *Al-*
chemiae studiosum, quem sine Melancholia magnos in hoc studiorum ge-
nere

(r) *De Sibylla* l. I. c. X. (s) *Conf. Hippocratis ad Philopoem. ep. ubi*
in Democrito ostendit, quid possit sapientiae studium, ubi incidit
in eos, qui atra bile perciti sunt. Et Meric. Casaubonus in eru-
dito Tract. de Enthusiasmo Anglice scripto. De quibus uideatur
VVits. Misc. T. I. l. I. c. IX. p. 65. 66. Aequalia cum bis tradere
Aristotelem refert Marsil. Ficinus de Immortal. Animae l. XIII.
p. 287. Et ex Aristotele Platone et Democrito Moserus in Anno-
tat. ad Bacon. Histor. uitae et mortis p. 228.

nere profectus nunquam habiturum, Gabalis profitetur. Quae et alia his confimilia facile lectorem inducere poterunt ut credat, *Comte de Gabalis* aliud quam lapidem Philosophicum non meditari, et *Hermetis Trismegisti*, (t) *Roberti Fudd*, (u) aliorumque huius farinae uestigia legere, nisi forte quis suspicari uellet, eum ad exemplum *Böhmi* (x) maiora spirare, et nescio quae alia mysteria aut opinionum portenta sub phalerata uerborum pompa occultare uoluisse, nec uera animi sui sensa exponere, sed aliis tali glaucomate illudere constituisse, uel ipsummet, quid scripserit, nescium fuisse, quod de futuro *Görlicensi* peruulgata narrat fabula.

IV.

Vtut autem difficile admodum sit coniectando assequi, quae uera *Comte de Gabalis* mens fuerit atque opinio, et (y) auctor *Tractatus Theologico-Politici* moneat, si quem librum res incredibiles atque imperceptibiles continentem, uel terminis admodum obscuris scriptum legimus, neque eius auctorem nouimus, neque etiam quo tempore et occasione scripserit, frustra de eius uero sensu certiores fieri nosmet conari. Non dubitamus tamen, quin *Gabalis* nihil aliud in mente habuerit, quam decantatam de uariis *Elementicolis* fabulam interpolare; sed nouo diuersoque schemate ornare. Ipse certe suspicionem, quasi aenigmatice loquatur, et diuersum quid sub uerbis et phrasibus illis occultet, a se amolitur, sub persona amici ita locutus: *si uidero, ea me iniuria affectum baud iri, ut suspicio habeatur de me, ac si fauerem scientiis hisce secretis sub praetextu, ut eas in ludibrium uerterem, aliorumque risui exponerem, alteram Tractatus partem cito citius adornaturum me recipio atque polliceor.* Vt cur hic haereamus, nullam subesse rationem facile elucescat, praesertim, cum sententia de habitatoribus elementorum non noua sit, sed ab omni fere aeuo a *Platonico-Kabbalistica* schola asserta.

V.

Non dicam iam, quod *Gabalis* non solum omnes illos, qui de daemonibus, et familiaribus quos uocant spiritibus, eorumque cum hominibus commercio candide atque aperte mentem exposuere
suam

(t) *Cuius Tabul. Smaragdin. a Krigsmanno latina ciuitate donatam exhibet Seb. Wirdig. in Noua Medic. Spirit.* (u) *De quo iudicium Gassendi supra.* (x) *Conf. Hinckelm. Delect. Fund. Böhm. p. 67. et passim.* (y) *Cap. VII. p. 95. sq.*

suam, ut sunt Plato, Celsus, Psellus, Proclus, Porphyrius, Iamblichus, Plotinus, Trismegistus, Paracelsus, Nollius, Cardanus, alii, a suis partibus stare contendat, uerum etiam uerborum incantamentis eoque pertinentibus characteribus delectetur ita, ut uoci AGLA IABA-
 MIAH NEHMAHMIAH ELIAEL miraculosos plane et stupendos effectus tribuere non uereatur cum Kabbalae magistris, qui septuaginta duas eiusmodi uoces uenerantur atque colunt, quibus pii homines miranda operantur et mirabiliora quam eloqui fas sit, hos enim characteres R. MENAHEM *Raknati* (z) dicit esse

אותיות פורחות למעלה בעיקר המרכבה ה' ממונים לעשות כל דבר בהם ופעולותיהם ידועים למקובלים
 perinde atque IAMBlichVS (aa) id quondam fecit, cum ait:
 ἄλλ' ἢ τῶν ἔργων τῶν ἀρρήτων καὶ ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν θεοπρεπῶς ἐνεργουμένων τελεσιουργία, ἥτε τῶν νοημένων τοῖς θεοῖς μόνον συμβόλων ἀφθέγκτων δυνάμεις ἐντίθησι τὴν θεουργικὴν ἔνωσιν.

VI.

Illud solum urgeo, quod ex historiarum monumentis ea afferat documenta, quae ut uere gesta nonnullorum fide firmantur, qualia sunt, quae de priscis *Gothorum regibus ex urso et principe adolescentula*, de *Peguanis*, Orientalis Indiae natione ad *canem et feminam genus* referente, aliisque haud absimilem originem habentibus recensentur, quae suo quidem assensu comprobant, non tamen ut si ab irrationalium, quorum externam proci formam habuere, brutorum genere originem traxissent illos existimet, sed ab *Elementicis*, beluinae hanc prae hominis formam eligentibus, ne sub hac conspicuos si se praeberent, cacodaemones haberentur, credulae sic plebis persuasioni uelificaturi.

VII.

Non autem id agit *Gabalis*, quod multi ex Mathematicis faciunt, qui phaenomenis quibusdam naturalibus, et deprehensa globorum coelestium cum tellure hac nostra astroscopiorum ope et sub-

B

fidio

(z) אות טעמי ad Ex. c. XIV. (aa) Sect. II. c. IX. p. 121. eadem ex Proclo et Synesio affert Berns in der bezauberten Welt l. III. c. III. p. 599. quibus addantur ἑπωδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι, qui apud Paracelsum reperiuntur, notante Io. Neand. Bremano in antiquiss. Medic. Natal. p. 334

sidio analogia permoti, iisdem similia his, quae orbis hic noster habet terraquæreus, animantia adsignant atque attribuunt. Quae sententia non nudius tertius in scholis illorum enata est, uerum si recte meminit Eimmartus, (bb) idipsum PYTHAGOREI quondam atque ARISTOTELICI iam docuerunt, ex recentioribus autem, quod testatur Ian Philadelphus, (cc) CARD. CVSANVS, IORD. BRVNVS, LAMIVS, et quibus annumerari suo modo poterit KEPLERVS, a quo uti uortices accepit, ita eundem nec hac quoque in parte deferere uoluisse uidetur CARTESIUS, et qui presse hunc sequitur ROHAULTIUS, a quorum etiam mente non abludivit DETHLEV CLVERVS. Ornarunt autem imprimis hanc sententiam eamque ex instituto tradere conati sunt *auctor* ingeniosi DIALOGI *de pluralitate Mundorum*, et CHRISTIAN. HUGENIUS, qui, cum incolis hisce Planetarum non rationem modo a nostra haud diuersam, et sensus externos, sed et artium scientiarumque usum, et architecturae nauigandique peritiam, aliaque sapientiae et stultitiae nostrae documenta tribuunt, ac si praesentes multa eos contemplati essent ac sollicita diligentia, ad quos tamen perueniendi spem atque uiam Hugenius praeccludit omnem, non praeter meritum a Cl. BVDDEO sunt notati. Non etiam eo collineat, quo ueterum nonnulli, et cum iis paria facit, qui in omnibus elementis animalia quaedam generari et produci uolunt, quemadmodum ARISTOTELES (dd) animalium quorundam mentionem facit, quae in igne nascantur, in Cypri insulae fornacibus aerariis, item in aere ex uaria elementarium particularum mixtura composita, atque uisu deprehendenda.

IIX.

Non etiam unius tantum elementi limitibus circumscribi uult suos elementorum habitatores, eosque in aëris tantum regione uersari, quod fecerunt illi, qui in aëre incolas quaesiuere spiritus compositos ex omnibus quatuor elementis, et quos PNEVMATICA KABBALISTICA (ee) dicit, *spiritibus aëreis omnia quatuor elementa tribuere; Ignem scilicet, quo mediante per illos sese exserat uita atque motus, deinde aërem, qui quasi sit alimentum ignis illius; et quoniam hic alias facile dilaberetur, hinc et aquas addunt subtilissimas, et*

(bb) *Traët. de Sole.* (cc) *Cons. desult. de optima Christ. sect. p. 74.* (dd) *lib. V. Hist. Animal. c. XIX.* (ee) *Diss. III. c. III. §. 3. p. 28.*

cum his terram similem, ut eo melius subsistere queant: quae omnia debito pondere et mensura sint contemperata, ut aër tandem praeualeat. Et quanquam propius accedere uideatur ad sententiam Platonico-Kabbalisticam, et cum Kabbalisticis imprimis unum cornu inflare, dum eorum placita non raro in subsidium uocat, non tamen uel cum his quoque per omnia consentit, nisi forte cum Apuleio, aut ex recentioribus cum Cardano, si hunc ad Platonicos referre licuerit. Id quod uel ex eo manifestum euadit, quum disertissimum illum, quem GALATINVS (ff) uocat, Ebraeorum Philonem redarguit, quod locum Mosis, ubi filios Dei cum filiabus hominum congressos esse sanctissimus gentis Israëliticae Legislator pronunciat, de Angelis interpretetur, ignarum eundem ad instar reliquorum Iudaeorum Kabbalisticaeque scientiae prorsus expertem nuncupans, cum ille de lapsu Angelorum error, quem errauerunt Tertullianus, Iust. Martyr, Cyprianus, Cl. Alexandrinus, Athenagoras Philosophus Christianus, aliique priorum seculorum Doctores, non alio ex fonte profluxerit, quam quia nesciuere illi quosdam ex elementorum habitatoribus ob consequendae immortalitatis desiderium cum filiabus hominum congregari ausos fuisse. *Sunt enim, pergit, substantiae quaedam inter Angelos et homines mediae, quas Ebraei, אַיִלִּים, Graeci transpositis syllabis atque inserta unica litera δαίμονας appellant. Quo etiam nomine ipse perpetuo utitur.*

IX.

Scilicet non unam is eamque aëream tantum nationem facit, sed quatuor, respectu omnium quatuor maiorum, ut BACONI dicuntur, Collegiorum, quorum pro numero et ratione diuersa et is quatuor suorum *daemonum* seu geniorum genera constituit, unicuique elemento peculiare suos hospites atque habitatores adsignans, eos qui in igne uiuunt SALAMANDROS, qui aërem incolunt SYLPHOS, qui in aquis uiuunt NYMPHAS, qui in terra inhabitant GNOMOS appellans, quorum singulos ex illo solum compositos agnoscit elemento, quod incolunt. Hinc, inquit, *Salamandri tibi narrabunt, quod sint compositi ex subtilissimis elementaris ignis, quem incolunt, particulis concentratis atque organisatis per unionem ignis uniuersalis, qui est principium omnis motus in natura, sic Sylphi ex purissimis aëris atomis, Nymphae ex maxime solutis et subtiliori-*

B 2

bus

(ff) de arcan. Cath. Verit. l. I. c. III. D.

bus aquae particulis, Gnomi ex omnium minimis terrestri substantiae atque indiuisibilibus punctis primisque seminibus concretos esse sese affirmabunt.

X.

Vnde porro ex eo, quod non nisi ex unico eoque simplicissimo elemento constant, contrarias in iisdem qualitates reperiri negat, neque tamen ideo immortales facit, sed mortales etsi longaeuos admodum, perinde atque CARDANVS, (gg) qui ex iuuenili daemone sui aspectu ad ducentos aut trecentos annos daemoneum aetatem peruenire, existimabat. Quamdiu autem *Elementicolae* isti uiuant *Gabalii* non definit, contentus dixisse; quum contrarias in se qualitates non habent, non moriuntur etiam, nisi post plurimorum seculorum reuolutionem, robor suae opinioni quaerens in decantata illa de magno PANE mortuo fabula, quam aduersus tot scriptorum auctoritatem (hh) de *Elementiculis* intelligendam esse fidenti animo pronunciat, secutus non tam (ii) Plutarchum, et familiares illius Demetrium Philosophum, Aemilianum Rhetorem, et Platonicae haeresis fautores alios; quam R. MENASSE ben ISRAEL, (kk) et personatum illum HENOCHVM, qui daemones et cibis uesci et generare et mori ad instar hominum nugantur.

XI.

Hinc ne tam nobilis tamque excellens creatura annihiletur penitus, illiusque et genus simul et memoria intercitat aeternum prorsusque aboleatur, et generare eos et generari dicit, expressis equidem idipsum uerbis non asserens, nec de concubitu illorum mutuo quicquam perhibens, mentem tamen suam abunde testatus, quando non uno loco de Salamandronum et filiabus et uxoribus mentionem facit, eosque cum Cardano et nasci humano more, et senescere atque in-

(gg) tradente Ant. Rusca l. IV. de Daemon. c. I. somnio simili, quo Turcae Angelorum aetatem ad 9720. annos extendunt, uti ex illorum Corano docet Francisc. Traugott / in der Neueröffneter Türckenschule c. lIX. §. 5. p. 38. (hh) Van Dale de Orat. Dissert. II. c. 1. p. 434. et quos ille citat. Boissard. de diuinat. Oudaan in der Romsche Mogentheynt / Molin. de Vate. Centuriator. Magdeburg. Sieur de Tilemond Memoires Historiques, Baron. Annal. Huet. Dem. Euang. (ii) conf. Marsil. Fic. in Theol. Plat. de immort. an. l. X. c. II. pag. 224. (kk) Probl. XXII. de Creatione.

interire contendit. Imprimis autem hominum eos societatem et coniugia uehementer ambire affirmat, idque ex prima earum hominumque creatione. Iuxta mentem enim *Gabalus* Adam et Eua non hoc fine a Deo creati sunt, ut communes liberos susciperent, et essent unanimi femina uirque toro: mundum enim nobiliori longe uia hominibus repleti oportuisse, atque Adamus cum Salamandra ut congregaretur aeternis Dei decretis fuisse definitum. Quod si primus ille hominum parens obseruasset, sapientiores multo, et robore corporis longe ualentiores homines mundus iam uideret atque ostenderet, similes his, quos subsequendum temporum aetas tali matrimonio natos tulerit, ut sunt Zoroaster ex Salamandro Oromase et Vesta Noachi coniuge, Egeria Numae Romanorum Legislatoris ex eodem congressu magistra atque amica, Melchisedek ex Sylpho et Semi uxore, Hercules ille *τρείσπερος*, Alexander M. Romulus, Seruius Tullius, Achilles, pius Aeneas, Plato, Apollonius Tyaneus, et insignis ille Angelorum uates Merlinus, Parthenii Heroës rerum gestarum et sapientiae laude nunquam intermoritura praestantissimi. Mirum quod his ipsis non adiunxerit Buddam, Gymnosophistarum illum principem, quem ex uirginis latere prodiisse creditum scribit aduersus Iouianum HIERONYMVS, (ll) et Buddam alterum, Therebinthum prius dictum, quem SOCRATES (mm) commemorat, ortum quoque suum ad uirginem retulisse, prioris Budeae usurpato nomine et ortu commentitio. Non etiam Turcarum *Nepbel-Ogli*, seu filios animae, quos ex uirginibus oriundos miranda facinora edere Turcarum uulgus contendit. Quum haud erubescat adducta confirmare inanibus illis fabulis, quas Gorraeus Medicus Gallus confinxit (nn) de Amadiso Parisiensi et huius progenie, tempore Caroli M. ex tali congressu prognata, in filiis et arcibus, in quas praestigiosa quadam arte ab hominum societate fuerit remota, uiuente.

XII.

Quod diuinum institutum quum neglexisset Adam, mutuisque, uel renitente Iehoua, Euae coniugis amplexibus haesisset, inde et ipsum se materiae crassissimis excrementis inuoluisse, atque originalem illam labem in miseros ob id ipsum posteros propagasse. Quae an tantum distent, quantum aera lupinis ab iis, quae HADR. BEVER-

B 3

LAND

(ll) l. I. c. XXVI. (mm) l. I. c. XXII. (nn) ut ipse testatur in iudicio aduersus Iouii Historiam.

LAND (oo) delirat, et annon *Gabalus* perinde atque hic sanctissima Dei oracula tam claris in sacro codice uerbis expressa, et mentem Numinis diuini in alienum et metaphoricum figuratumque sensum detorqueat, cordatus iudicet Lector.

XIII.

Nec contentus est hisce *Gabalus*, sed fingit insuper Chamum parentem euirasse suum, propterea quod is Vestae coniugis thalamum tedasque repetiuisset, cuius tamen consuetudinem, cum fatalis effluuii dies arca inclusos eos teneret Oromasi Salamandro concessisset, ueritum, ne cum ipse ob denegatum ignis huiusmodi habitatori cum uxore congressum usque ad nigra uirum percoctaque secla calore fuisset relegatus, aequali pater supplicio affectus in eadem secum terrae partes amoueretur, optimosque et regionis fertiliores tractus iure patrio sibi uindicaret, imperiique habenas solus capefferet: ex quo uulnere miser senex grauissime fuisset afflictus, nisi Semus filius, huiusque ex matre frater Iapethus seu Zoroaster per uocem IABAMIAH sex uicibus repetitam ereptae uirilitatis damna ipsi restituisent.

XIV.

Addit uero et aliam rationem, obquam *Elementicolae* hominum matrimonia ambient. Quum enim non solum mori, sed etiam mortui in primigenium nihil abire debeant, aeternae beatitudinis spe illos manente nulla, atque a beatifica Dei uisione, quem tamen et colunt sancte, et uenerantur religiosissime, aeternum sint exclusi, nisi miseram hanc sortem suam emendent per coniugium cum hominibus contractum, hoc enim si obtineant, in spem coelestis haereditatis uenire, et illius aequae atque reliquos in futurae perennis uitae possessionem sempiternam creatos mortales participes fieri, ita nugatur questos aliquando fuisse *Elementicolas* apud Sapientes de duriore, uti ipsis uidebatur, summi Entis decreto, et ut causam illorum agerent, postulasse, qui etiam illorum miserti postquam piis Deum precibus suis flagitauissent, ne permitteret pro infinita qua est misericordia, nullisque

(oo) *Themidos ille alumnus, ut se uocat, in Diss. de Pecc. Or. p. impr. 20. seq. suas in partes trabens et Origen. et Corn. Agripp. Cuius mentem detestandam pronunciat B. Scherz. Syst. Theol. L. VII. §. 3. p. 142. meritoque castigatam a Leon. Ryssen. in iusta detest. sacratiff. Lib. adu. Hadr. Beuerl. de Pecc. Or. Anno 1680. edit. et quam ipse postmodum recantauit tanquam adulterinam et nequiores in admonit. Tract. de fornicat. cauenda praemissa.*

lisque limitibus circumscripta bonitate, tam nobilem substantiam ad nihilum reuerti atque aeternum perire, horum uotis Deum annu-isse iisdemque manifestasse, dari huic malo remedium aliud nullum, nisi, quo modo per foedus, quod cum Deo iniit, homo in diuinitatis partem uenit, eo modo et illi foedere maxime matrimoniali hominibus iungerentur, adeoque immortales aeternumque beati fierent. *Hoc modo, pergit, Gnomus, et Sylphus, et Nympha, et Salamander desinunt esse mortales ex eo tempore, quo aliquam ex nostrae speciei siliabus uxorem sibi adiungere fuerit concessum.*

XV.

Vt uero hanc cum *Elementicolis* consuetudinem gratam magis redderet Sapi-entibus atque iucundam, excellentem eorum formam eximiamque uenustatem iis encomiorum laudibus extollit, ut dicere non uereatur, eam, quae deformior apud illos habetur nostri coetus feminas superare longe, multumque post se relinquere, ita ut, si corporum dotes ex utraque parte aequali aestimatione perpendantur, has non cedere modo, uictasque manus praebere, sed monstrosas prorsus atque detestandas penitusque sese reiiciendas esse fateri cogantur.

XVI.

Sed nec inuilem fore Sapien-ibus hanc consuescendi cum *Elementicolis* familiaritatem, uerum magna quaedam ex hoc commercio in foederatos pactique coniugalis participes beneficia redundatura pollicetur, statuens cum PARACELSO, (pp) illos cum magna discendi cupiditate flagrent, et audiendi sint perquam studiosi, felicesque, si sapientum subire institutionem contigerit, se reputent, gratam gratae mentis memoriam relicturos magnam auri atque argenti copiam congerere, et sagacioribus Kabbalisticarum subtilitatum indagatoribus atque interpretibus offerre, ut erudiantur ab ipsis et percipiant, quid de placitis potissimum Auerrois habendum esse uideatur. Et ut huius asserti fidem faceret, prouocat ad septem illos genios, quos patri sub noctis concubium apparuisse meminit filius CARDANVS, eosque sapientiae ab illo perdiscendae desiderio pellectos fuisse affirmat. Qua tamen sententia sua multum ab eodem Cardano disfidet, qui et sapientia nobis longe superiores genios, et illos nostros praeceptores facit, de suo quo familiariter utebatur daemone dicens: *Sibi cognitionem incorporeorum atque immaterialium totam fuisse a spiritu per demonstrationem simpliciter, problemata quoque et linguas, tametsi loqui nesciat, uel etiam nec cogitanti occurrant. Amplificationem quoque et splendorem partim ab exercitatione, partim ab eodem accepisse: quod idem de Socratis genio pronunciat APVLEIUS: hic quem dico prorsus custos---in rebus incertis prospectator, dubiis praemonitor, periculosis uiator, egenis opitulator: qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala auertere, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcinare, obscura clarare, sidera aduersa corrigere.* Accedit et alterum beneficium illos proxime attingens, quos pro libera uoluntatis omnipotentis dispensatione absoluto quodam atque aeterno decreto ad perennes in Tartaro cruciatus Numen peaedestinasse cum sectae suae hominibus putat, ex hoc enim congressu animam illorum una cum corpore mortalitati atque sempiternae annihilationi succubituram esse delirat.

XVII.

(pp) cuius uerba uide ap. Noll. in *Phys. Hermet. axiom. IV.*

XVII.

Oblitus est *Gabalus* meminisse, qua dilacto in mutuis cum Sapiensibus colloquiis *Elementicolae* utantur, quibusque nutrimentis alantur et conferentur, quos tamen supplere defectus proclive erit, partim ex ipso eius Tractatu, quo pronunciat: Sapiens a Paracelso *arcanum Quintae Essentiae Solaris* didicisse, quo qui utantur, non per quadraginta tantum dierum spatium atque intervallum, uti Moses et Elias, sed uel per uiginti integros annos absque cibo et potu nouo prorsus atque inaudito exemplo et miraculo uiuere possint, testem adducens ipsum Paracelsum, qui loco quodam affirmet, se uitam conseruaturum suam per plurimorum annorum decursum, nil alimentorum usum, quam semisrupulo Quintae essentiae suae Solaris. Et ne quis obiiciat, uesci nihilominus Sapienses cibis, atque ad instar reliquorum mortalium corpus nutrire suum, obuiam dubitationi huic processurus monet, quod *quicquid ciborum illi sumant, fieri id sola uoluptate, non naturali desiderio modum finiente.* Iam hoc arcano quin et ipsi *Elementicolae* utantur, quis dubitare posset: partim ex Platone, cuius ad mentem CLEM. ALEXANDRINVS, (99) Φασί δέ, inquit, οἱ Ἑλληνας διαλέκτους εἶναι τὰς παρὰ σφίσι πέντε, Ἀττίδας, Ἰαδάς, Δωρίδας, Αἰολίδας, καὶ πέμτην τὴν κοινὴν. — ὁ Πλάτων δὲ καὶ τοῖς θεοῖς διάλεκτον ἀπονέμει τινὰ: μάλιστ' ἀπὸ τῶν ὄνειράτων τεκμαιρόμενος καὶ τῶν χρησμῶν. ἄλλως δὲ, καὶ ἀπὸ τῶν δαιμονῶν, οἱ τὴν αὐτῶν ἔφθέγγοντα Φωνὴν, ἔδὲ διάλεκτον, ἀλλὰ τὴν τῶν ὑπεισιόντων δαιμόνων.

XVIII.

Haec sunt egregia illa *Comte de Gabalis* philosophemata, uel potius opinionum portenta. Quae quam monstrosa sint, et ab omni procul ueritate remota, peculiari loco differendi erit occasio. Interim ne somnia haec per eburneam portam egressa uideantur, argumentorum ea coloribus quibusdam tingere allaborat, quae quam straminea sint et ficulnea, uel ex sola recensione patet. Prouocat autem *primum* ad absolutam atque omnibus numeris perfectissimam Dei potentiam, qua, quemadmodum quaecumque uult efficere, ita et incolas huiusmodi creare potuerit. *Deinde* urget uasta illa atque immensa Elementorum spatia maximam partem uacua et inania, nisi tales in iis incolae deprehendantur, remansura. Testes porro adducit stupendas illius energumenorum operationes, atque usum linguarum, quas nunquam antea didicerant, scientiarumque sublimium, quae uel ipsos ex libris doctos Philosophos acutissimos et sagacissimos clam sint, notitiam subtilissimam. Plurima praeterea diuinationum genera, *Gastromantiam*, *Aëromantiam*, *Catoptromantiam*, *Chrystallomantiam*, *Lecanomantiam*, *Coscinomantiam*: denique et *Talismannica*, reliquorumque oraculorum, et uel maxime quae a *Teraphim*, quorum in sacris literis mentio infertur, eduntur responsa, quae quum *Cacodaemoni* saepius fuerint aduersa, is autem nunquam contra seipsum loquatur, *Tartareis* insuper *Phlegethonte* sub gurgite uinculis mancipatus, et tristissimis infernalis abyssi tenebris inclusus talia, uti quidem arbitratur, perpetrandi potestatem non habeat, suis *Elementiculis* uindicat. Hinc tandem his uerbis delirantis ingenii riuos claudit: *Haec sunt illa cogitata, quae in omni antiqua Philosophia fundamentum habent, haec Platonicis aequae atque Pythagorei acceperunt ab Aegyptiis, et hinc a Iosepho saluatore dicto, atque ab Ebraeis, qui antequam rubrum mare transierunt in Aegypto habitauerunt.* Verbo: Haec sunt ipsa **KABBALA**, ueraque et genuina **EBRAEORVM THEOLOGIA.**

(99) L. I. Strom.

Coll. diss. A. 53, misc. 2